

tè a premio adæquatum: ergo non infinitum. R. 1. D. Maj. Vis, &c. quæ nullo premio finito hauriri potest, C. premio infinito, N. Sic, licet potentia generativa Patris sit infinita, exhauritur tamen generatione Filii, quia est infinitus. R. 2. D. Min. Meritum Christi foret exhaustum intensivè, C. extensivè, N. Hoc est, meritum Christi non posset extendi in hoc casu ad aliud præmium æquè vel magis perfectum, & sub priori infinito æquivalenter non contentum; undè est exhaustum intensivè: posset tamen extendi ad varia alia eminenter contenta in priori infinito, qualia sunt omnia præmia creata respectu increati, & infiniti, si daretur. Undè non sequitur, quòd hoc posito Christus nihil nobis mereretur, ut quidam arguunt.

ARTICULUS VI.

Utrum satisfactio Christi fuerit ab intrinseco non solum condigna, sed etiam superabundans?

REvoca in memoriam, quæ diximus supra Diss. 3. art. 2. §. 2. scilicet satisfactionem, quæ est recompensatio voluntaria debiti, aliam esse condignam, quandò nempe res oblata adæquat debitum; aliam de toto rigore justitiæ, seu ad apices juris, quandò servantur omnes conditiones strictæ justitiæ. De 1. in hoc articulo: de 2. agemus in sequenti.

Qui negant, opera Christi esse ab intrinseco valoris infiniti, negant pariter ejus satisfactionem esse ab intrinseco condignam. Contra quos dico: Satisfactio Christi fuit ab intrinseco non solum condigna, sed superabundans. Prima pars sequitur ex articulo præcedenti; si enim satisfactio Christi sit infiniti valoris, non potest non esse condigna. Patebit insuper ex probatione 2. partis.

Prob. 2. pars 1. ab auctoritate: ad Rom. 5. dicitur: *Non sicut delictum, ita & donum; si enim unus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia hujus hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et ibid. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Chrysost. hom. 20. in eandem Epist. *Multo plura, quam debeamus, Christus pro nobis exsolvit, tantòque plura, quàm exiguum Pelagus excedit immensum.* Et Concil. Triburien. cap. 19. dicit, in calice plus vini, quàm aquæ infundendum esse, ut significetur valorem sanguinis Christi esse multo majorem, quàm sit offensa totius populi per aquam significati. Huc recurrit auctoritas Clementis VI. citata art. præced.

Neque dicas, hæc esse vera ratione acceptationis divinæ, non ab intrinseco operum; tum quia, ut diximus, hæc interpretatio contradicit menti Pontificis; tum quia juxta probabiliorem sententiam, quam ex Patribus supra propugnavimus, pura creatura non potuit de condigno satisfacere pro peccato generis humani; posset autem, si valor operum Christi sit condignus non ex ipsis, sed ab acceptance Dei: tum quia Apost. Hebr. 10. dicit, impossibile esse sanguine taurorum, id est, sacrificiis veteris Legis, auferri peccata, sed ad id necessarium fuisse Christum offerri, & pati: at nulla esset vis argumenti Apostoli, si merita Christi ex sola Dei acceptance, & non in seipsis haberent valorem peccatis delendis sufficientem, cum potuisset Deus ad hunc effectum acceptare sacrificia veteris Legis.

Prob. 2. ex principiis, articulo præcedenti positò, valorem nempe satisfactionis maxime attendi penes dignitatem personæ satisfaciens. Et quidem probatur facile in sententia probabili, quòd offensa peccati sit infinita tantum secundum quid; ea enim major est satisfactio infinita simpliciter. Sed, & supposita altera opinione non minus probabili, quòd offensa peccati sit infinita simpliciter, probatur sic: longè plus est, personam divinam subijci physicè, & realitèr Deo in ejus obsequium, quàm Deum subijci creaturæ quoad affectum tantum moralitèr, & interpretativè; atqui hoc secundum facit homo peccans mortalitèr, primum fecit Christus: ergo. Prima pars Minoris constat, secundà etiam est certa; verum est enim, Christo satisfaciens personam divinam se in natura assumpta subijcisse Deo realitèr, physicè, & quoad effectum, nam physicè, & realitèr Deus orat, se humiliat, dolet, offertur, immolatur, moritur.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Valor satisfactorius operum Christi non adæquat gravitatem peccati mortalis: ergo non est satisfactio condigna. Prob. Ant. 1. Plus displicet Deo peccatum, quàm ipsi placeat satisfactio Christi: ergo. Prob. Ant. Non minus Deo displicet peccatum, quàm placeat ipsi sua propria bonitas; atqui plus ipsi placet propria bonitas, quàm satisfactio Christi: ergo. Prob. Maj. Peccatum de se est destructivum divinæ bonitatis; atqui quantum amatur res aliqua, tantum displicet illius destructivum: ergo. Prob. primum Ant. 2. Gravitas injuriæ Deo irrogatæ infinita est ex duplici capite, nempe ex

infinita dignitate personæ offensæ, & ex infinita vilitate, ut ita dicam, personæ offendentis; est enim atrocior injuria servi in Regem, quàm Regis in Regem; atqui satisfactio Christi est solum infinita ex parte personæ satisfaciens, non verò ex parte illius, cui satisficit, cum ex ejus dignitate potius deprimatur, quàm crescat satisfactorius valor: ergo. Undè Prob. primum Ant. 3. Si per impossibile unus Deus alium Deum offenderet, valor satisfactorius operum Christi adæquaret ad summam gravitatem offensæ uni Deo irrogatæ ab alio Deo; atqui offensa Deo irrogata a vili creatura est major, quàm offensa uni Deo irrogata ab altero Deo, ut patet ex argumento præcedenti: ergo. Prob. idem Ant. 4. Peccatum mortale est majus malum, quàm satisfactio Christi sit bonum: ergo. Prob. Ant. Peccatum est privatio omnis boni, omnis gratiæ, nedum existentis, sed possibilis, & infinitæ, &c. hæc enim omnia sunt cum peccato incompossibilia; atqui satisfactio Christi non importat omne istud bonum, quo privatur peccatum: ergo.

R. N. Ant. Ad 1. prob. 1. N. Ant. Ad probat. omnia nunc Min. N. Maj. Ad probat. D. Maj. Peccatum de se est destructivum divinæ bonitatis moralitèr, & secundum prædictum æstimationem, C. realitèr & physicè, N. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Cons. Itaque, cum bonitas divina sit nedum moralitèr, sed physicè infinita, plus amatur, quàm displiceat id, quod est tantum destructivum illius moralitèr. 2. N. Min. omisit; quia, ut diximus art. præced. satisfactio Christi involvit personam satisfaciens, quæ cum sit infinitè digna, & amabilis utpote Deus, tam necessario diligitur a Deo, quàm propria bonitas.

Ad 2. prob. 1. D. Min. Atqui satisfactio Christi est tantum infinita ex parte personæ satisfaciens, & non ex parte personæ, cui satisficit, & ille defectus (si tamen defectus est) superabundè suppletur aliunde, C. & non suppletur, N. Suppletur enim per hoc quòd per satisfactionem Christi persona divina realitèr subijciatur Deo, per peccatum autem moralitèr tantum, & affectivè Dens subijciatur creaturæ. Item per hoc quòd, cum persona satisfaciens non possit esse infinitè superior Deo, cui satisficit, voluerit esse infinitè inferior, seu se deprecavit in natura infinitè Deo inferiore, & infinitè a Deo distante. 2. D. Cons. Ergo valor satisfactorius non adæquat extensivè gravitatem peccati mortalis, C. intensivè, N. Cum enim offensa sit infinita in ratione injuriæ ratione prædictæ personæ offensæ, continet eminentèr, seu æquivalentèr omnem aliam injuriæ gravitatem possibilem. Undè, licet injuria angustior ex distantia offendentis ad offensum, illud augmentum est extensivum tantum, non intensivum; sicut, quia Deus continet eminentèr omnes perfectiones creaturarum, non est cum illis quid majus intensivè, sed ad summum extensivè. Undè

Ad 3. probat. juxta hanc secundam solutionem. R. 1. D. Min. Atqui offensa Deo irrogata a vili creatura est major extensivè, quàm ea quæ irrogatur ab alio Deo, C. intensivè, N. 2. Juxta 1. solutionem, N. Maj. Quia ratione subjectionis realis personæ infinitæ, & depressionis in natura infinitè distante, injuriam irrogatam uni Deo ab altero Deo superaret.

Ad 4. prob. 1. D. Ant. Peccatum est majus malum in ratione mali, seu privationis, quàm satisfactio Christi sit bonum, Transeat: in ratione injuriæ Deo illatæ, N. De peccato autem, ut est injuria, & offensa Dei reparanda per satisfactionem, hic est quæstio; non de ipso, ut est privatio boni, sub qua ratione est potius malum hominis, quàm Dei. 2. Negari potest Ant. Ad prob. N. Min. Quia, ut dictum est, satisfactio Christi involvit personam divinam, quæ omnia bona continet. 3. N. iterum Ant. Ad prob. D. Maj. Peccatum est privatio omnis boni ut in homine, adeoque finitè participandi, C. omnis boni secundum se, & suam infinitatem, N. Undè sit, quòd ista privatio sit finita simpliciter, & infinita tantum secundum quid; adeoque minus malum, quàm sit bonum satisfactio Christi, quæ est infinita simpliciter.

Obj. 2. contra 2. partem. Infinito non datur majus; atqui peccatum in ratione offensæ est infinitum simpliciter, secundum probabiliorem plurium Thomistarum sententiam: ergo satisfactio Christi illud non superexcedit. R. 1. D. Maj. Infinito in ratione entis seu in omni genere non datur majus, C. Infinito in certo genere non datur majus, Subd. in illo genere, C. in alio genere, N. Sic, si daretur linea infinita in genere linearum, non daretur linea major: posset tamen dari major quantitas puncta corporis infiniti, quod foret infinitum, nedum secundum longitudinem, sed etiam secundum latitudinem & profunditatem peccatum autem, & satisfactio Christi sunt in diverso genere & ordine: peccatum enim est in genere mali moralis, & ordine creaturarum, satisfactio Christi in genere boni moralis, & in ordine hypostatico, reductivè in ordine divino. R. 2. D. eadem Maj. Infinito non datur majus formalitèr, C. materialitèr, N. Explicatur: Cum ratio formalis infiniti sit, quòd careat

DE INCARNATIONE.

ne, & termino, nec nullum possit dari infinitum, qui terminum habeat, infinitum sic formalitèr sumptum est semper æquale: ideoque unum non est, sic formalitèr majus altero. Attamen res, seu subjectum, supra quod cadit infinitas, potest unum esse majus altero, adeoque majus infinitum materialitèr: sic v. gr. si darentur infiniti homines, darentur infiniti capilli: & licet multitudo capillorum non esset major formalitèr multitudinæ hominum, quia utraque foret sine fine, & termino, major tamen materialitèr foret multitudo capillorum, quàm hominum, siquidem quilibet homo plures haberet capillos.

Obj. 3. & simil. inst. Ideò secundum nos satisfactio Christi peccatum superexcedit, quia peccatum subijcit Deum creaturæ moralitèr tantum, & interpretativè, satisfactio autem Christi subijcit personam divinam Deo realitèr, & effectivè, atqui falsum est istud assumptum: ergo. Prob. Min. Judæi crucifigentes Christum Deum, ipsum nodum moralitèr, sed realitèr, & physicè creaturæ subijecerunt, humiliaverunt, occiderunt, destruxerunt: ergo. Si dicas, quod non humiliaverunt eum in natura propria, sed in natura humanæ assumpta, dicam ego, quod etiam non se humiliaverit satisfaciendo in natura propria, sed in natura assumpta, & sic semper stat paritas, & æqualitas. R. N. Min. Ad prob. D. Ant. Ita tamen ut actio Judæorum in ratione injuriæ moralitèr tantum affecerit Deum, C. ita ut realitèr, & physicè affecerit Deum in ratione injuriæ. N. Undè N. Cons. Explicatur: duo in peccato distinguenda sunt, malitia moralis, quæ petitur ab objecto, & ratio offensæ, seu injuriæ, quæ petitur ex dignitate personæ, in quam peccatur, igitur, Christo patiente a Judæis, actio Judæorum atigit physicè, & realitèr personam divinam in natura assumpta ut objectum, undè habuit malitiam moralem gravissimam, & infinitam secundum quid, seu extrinsecè, & objective, minus gravem tamen, quàm malitiam peccatorum, quæ versantur circa divinitatem in se, qualia sunt peccati blasphemix, odii Dei, &c. ut docet D. Thom. infra quæst. 80. art. 5. o. In ratione tamen offensæ, seu injuriæ infinitæ actio Judæorum affecit personam divinam, ut subjectum moralitèr tantum, quatenus juxta æstimationem moralem offensa est in offenso, & offensus dicitur pati injuriam, ex quo crescit injuria moralitèr juxta dignitatem personæ offensæ. At verò actio satisfactoria Christi physicè procedit a persona Divina ut principio quod, physicè subijciatur in illa quatenus actio immanens, physicè involvit illam ut formationem informantem. Undè, cum fiat comparatio satisfactoris Christi cum peccato in ratione injuriæ, non in ratione malitix moralis, stat quòd satisfactio Christi superet in valore gravitatem peccati crucifigentium Christum in ratione injuriæ, seu offensæ; quia plus est esse realitèr principium quod, & subijctum satisfactoris, quàm esse subjectum injuriæ moralitèr tantum.

Repones: Christus non se humiliavit, ut satisficeret ut Deus, sed ut homo: ergo non realitèr, &c. R. ut art. præcedenti, D. Ant. si ly ut reduplicat principium quo, C. si ly ut reduplicat principium quod, N.

Obj. 4. & simil. inferes: Si satisfactio Christi fuit superabundans, injustè Deus illum exegit; injustè enim a debitore exigitur, plusquam debet: ergo. R. N. Ant. Ad prob. D. Injustè exigitur a debitore, plusquam debet, si satisfactio æqualis sit possibilis, C. si non sit possibilis, N. Sic pauper, a quo dives abstulisset panem hordeumque vitæ necessarium, non exigeret injustè cibum pretiosorem, si dives nullum alium haberet restituendum, hoc enim est per accidens: non poterat autem Christus ratione dignitatis personæ nisi superabundantem satisfactionem reddere.

ARTICULUS VII.

Utrum satisfactio Christi fuerit ex toto rigore justitiæ, seu ad apices Juris?

NOTa. Ut satisfactio sit ex toto rigore justitiæ, & ad apices Juris, præter condignitatem, seu æqualitatem ejus ad offensam, multæ insuper requiruntur conditiones, ut alibi jam observavimus. Variæ a variis assignantur, communis quinque sequentes. Prima conditio rigorosæ satisfactoris est, quòd sit ad alterum; quia rigorosa satisfactio est actus justitiæ, justitia autem respicit æqualitatem, quæ necessariò requiritur extrema realitèr distincta. Secunda, quod non intercedat gratia creditoris, seu quod non fundetur in gratia creditoris; gratia enim, & justitia stricta opponuntur: nec potest dici rigorosa solutio, quæ indiget favore, aut gratiæ creditoris. Tertia, ut fiat ex bonis propriis debitoris, non creditoris, aut alterius; ex pecunia enim, & thesauro creditoris, aut alterius deprompta nullus debita sua solvere potest, cum istius pecunie dominium, quod ipse non habet, in creditorem transferre non possit, adeoque nec fieri æqualitas. Quarta, quod id, quod offertur in satisfactio-

nem, non sit debitum aliis titulis multiplicantibus debitum; si enim debeam Petro centum ratione mutui, & centum ratione census annui, non satisfacio solvendo tantum centum. Dixi: titulis multiplicantibus debitum; quia, si novus titulus novam obligationem, seu novum debitum non inducat, sed præcedens tantum confirmet, possum una solutione satisfacere: v. gr. si voto me astringam reddere mutuum acceptum extrinsecè indigentem, illud reddendo satisfacio obligationi religionis, justitiæ, & charitatis. Quinta, quòd creditor teneatur ex justitiâ acceptare satisfactionem, ita ut si nolit acceptare, maneat tamen extinctum debitum; si quidem totum, quod ablatum est, restituitur, & servetur medium rei. Magis elucidabuntur hæc conditiones ex ex mox dicendis.

Dico: Christus satisfecit ex toto rigore justitiæ, & ad apices Juris. Est communis inter Thomistas, quibus adherent plures alii. Prob. Christus servavit conditiones quinque assignatas ad rigorosam satisfactionem: ergo. Ant. non potest melius probari, quam expendendo, & solvendo rationes in contrarium. Undè

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. conclusionem, Satisfactio rigorosa debet esse ad alterum; atqui satisfactio Christi non est ad alterum: ergo. Prob. Min. Christus sibi ipsi satisfecit non minus, quàm Patri, aut Spiritui S. non enim solus Pater, aut Spiritus S. est creditor, seu offensus, sed Deus unus, & trinus: ergo. R. D. Maj. Satisfactio rigorosa debet esse ad alterum natura, C. Maj. ad alterum supposito. N. Et dico, quod ad strictam justitiam non requiritur necessariò distinctio suppositorum, sed sufficit distinctio naturarum in eodem supposito, quælis reperitur in Christo. In tantum enim requiritur distinctio inter satisfaciens, & creditorem, in quantum distinguuntur jura utriusque ad æqualitatem reducenda; posita autem distinctione naturarum in eodem supposito, salvatur distinctio juriæ, quia salvatur distinctio voluntatum, & libertatum, quæ sunt fundamenta juris & domini. Et sane justitia stricta non magis petit esse ad alterum, quàm obedientia, & religio; sicut enim nemo sibi ipsi satisficit, ita nec sibi obedit, aut sibi cultum exhibet: sufficit tamen in Christo distinctio naturarum, ut in eo salvetur ratio strictæ obedientiæ, & religionis; quidni & justitiæ?

Ins. Satisfactio rigorosa debet esse ad alterum suppositum: ergo. Prob. Ant. 1. auctoritate Aristot. 1. Ethic. c. 1. 2. & D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 2. ubi dicit quòd justitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum, & ideo non est nisi unus hominis ad alium; sed secundum similitudinem accipiuntur in uno, & eodem homine diversa principia actionum quasi diversa agentia, sicut ratio, & irascibilis, & concupiscibilis, & ideo metaphorice in uno, & eodem homine dicitur esse justitia, 2. ratione. Quia non inter dominia exercetur justitia, sed inter personas ratione domini. 3. a pwi Secundum communem opinionem non datur justitia rigorosè dicta inter patrem, & filium, inter dominum, & servum; quia, licet sint supposita physicè distincta, sunt tamen unum moralitèr, juxta enim moralem æstimationem filius est aliquid patris, servus domini: ergo a fortiori, si suppositum sit physicè unum. R. D. Ant. Satisfactio rigorosa debet esse ad alterum suppositum formalitèr, vel virtualitèr alterum, C. semper formalitèr alterum, N. Ant. Licet itaque in Christo sit unum tantum suppositum secundum rem, & formalitèr, gerit tamen vices duplicis suppositi; ideoque est virtualitèr multiplex: cum enim propter suam infinitatem possit subsistere in pluribus naturis, potest etiam præstare, quæ fierent plura supposita: & quia, quod est virtualitèr multiplex, tantam habet virtutem, quantum haberet, si foret formalitèr multiplex; ideo, sicut si foret formalitèr multiplex suppositum in Christo, unum divinum, alterum humanum, facile conciperemus, quòd suppositum humanum rigorosè satisficeret ex hac parte supposito divino; ita ex hoc quòd sit virtualitèr multiplex, concipimus quòd Verbum ut subsistens in natura humana sibi ipsi rigorosè satisficeret ut subsistens in natura divina, serveturque conditio requisita esse scilicet ad alterum. Enimvero in casu, quo Verbum assumpsisset duas naturas humanas, (quod poterat, ut probavimus supra) negari non potest, quin ut subsistens in una obtineret exercere justitiam strictam erga seipsum ut subsistens in altera, siquidem in utraque natura reperiretur distincta libertas, distinctaque voluntas, adeoque distinctum jus, & dominium. Ergo a pari nihil ex hac parte obstat, quin Verbum ut subsistens in natura humana sibi ipsi ex rigore justitiæ satisficeret ut subsistens in natura divina.

Undè patet responsio ad Probat. Ant. Et 1. Ad Arist. non est mirum, hoc genus justitiæ strictæ ignorasse, ad eamque requisivisse distinctionem formalem suppositorum; quia fide destructus non novit, duas naturas diversis voluntatibus, & dominis instructas posse in eodem supposito subsistere. Ad D. Thom. loquitur de justitiâ, quæ inter puras creatas exercetur, aut de

supposito formaliter, vel virtualiter altero. Ad rationem, R. justitiam strictam exerceri inter personas formaliter, vel virtualiter distinctas. Ad paritatem, R. Ideo non dari justitiam strictam inter patrem, & filium, inter dominum, & servum, non quia non sufficienter distinguuntur supposita, sed quia bona unius sunt alteri subordinata, & a dominio alterius reguntur: unde, si filius emancipetur, fiatque sui juris, potest strictam justitiam erga patrem exercere, ut omnes fatentur.

Repones: Eadem est ratio de offensa, & de satisfactione, quia, ut fert commune axioma, contrarium est eadem ratio: atqui Christus ut subsistens in natura humana non potuit seipsum offendere ut subsistentem in natura Divina: ergo, R. D. Min. Christus ut subsistens in natura humana non potuit seipsum offendere ut subsistentem in natura Divina, præcisè quia non esset sufficiens alicui, ut ita dicam, seu distinctio suppositi, N. aliunde, & quia suppositum divinum est impeccabile, C. Undè, D. Cons. Ergo Christus non potuit sibi rigorosè satisfacere pro peccato proprio, C. pro peccatis alienis, N.

Urgebis. Christus satisfaciendo, vel obtulit divinitatem, & sic nihil distinctum a Patre; vel suam personam, & sic nihil distinctum a seipso; vel humanitatem, & sic infra debitum. Ergo, R. ut supra, Christum ut subsistentem in natura humana seipsum obtulisse Patri, & sibi ut subsistentem in natura Divina; quia, ut diximus, Verbum subsistens in duabus naturis gerit vices duorum suppositorum. Et sicut ut subsistens in natura Divina producit Spiritum S. creat, conservat, &c. sic, ut subsistens in natura humana, obedit, patitur, moritur, &c.

Obj. 2. contra 2. conditionem. Satisfactio rigorosa non debet fundari in gratia creditoris; in quantum enim intercedit gratia, seu favor creditoris, in tantum recedit satisfactio a rigore justitiæ; atque satisfactio Christi fundatur tota in gratia creditoris, scilicet in gratia unionis, cæterisque donis, tam habitualibus, quam actualibus, pendente ab acceptatione Dei; ergo. Respondetur communitè, non quancumque gratiam creditoris obstat rigorosè satisfactioni; sed eam solum, quæ supplet defectum valoris in satisfactione, vel ipsam debiti solutionem formaliter ingreditur, ita ut gratia data non solum juvet ad satisfaciendum, sed etiam sit illud ipsum; per quod satisficit; tunc enim collatio doni est virtualis condonatio debiti; ut si creditor videns debitorem impotentem ad solvendum debet ipsi summam debitam, ut per eam satisficiat, vel summa inæquali ad debitum velit esse contentus. Si verò gratia creditoris præsuppositivè tantum se habeat, ita ut, licet collata fuerit in finem satisfactionis, tamen non suppleat defectum valoris satisfactionis, nec ex ea solum fiat satisfactio, sed ex aliis labore, & industria comparatis, tunc gratia rigorosam non impedit satisfactionem: sic, v. gr. debitor impotens ad solvendum, si a creditore gratis, seu mutuo accipiat pecuniam, quam proprio labore, & industria auget, poterit ex rigore justitiæ satisfacere creditori ex illis pecuniis, labore, & industria partis. Similiter, inquit, in casu nostro; licet humanitati Christi gratia unionis, divinarumque auxiliorum adjuvamenta liberaliter collata sint, non tamen per ea solum satisficit, sed per actus proprios omnium virtutum debitum compensavit, ita ut acceptatio ex parte Dei non suppleat aliquem defectum in valore horum operum.

Tametsi veram admittamus doctrinam hanc, videtur tamen insufficientis ad solvendum argumentum, nisi aliquid superaddatur. Enim verò instatur, quod gratia unionis, cæteraque dona, non solum præsuppositivè se habeant ad satisfactionem, sed formaliter, siquidem ab ipsis gratis actus virtutum in Christo vim satisfaciendi formaliter habeant, ita ut gratia creditoris nendum sit suppletiva valoris, quin imò totius valoris sit collativa. Undè R. facilius, & brevius ad argumentum, D. Maj. Satisfactio rigorosa non debet fundari in gratia creditoris ex ea parte, qua sumitur valor satisfactionis, C. Maj. ex alia parte, N. Maj. Et ad hunc sensum, D. Min. Cons. Explicatur: Suppono, ut certum, gratiam creditoris nullatenus obstat rigorosè satisfactioni, si ex ea non petatur valor operis satisfactorii, quandoquidem valore satisficit. Suppono iterum ex dictis, quod, licet actiones Christi valorem aliquem habeant ex humanitate variis gratiis ornata ut a principio quo, valorem tamen infinitum, & plenè, superabundantèque satisfactorium habeant a Verbo ut principio quod. Jam autem neque unio hypostatica, neque ullum aliud donum illatenus est gratia respectu Verbi, cum inde potius veluti deprimatur, quam elevetur, sed tantum respectu humanitatis. Igitur valor satisfactorius in Christo non fundatur in gratia creditoris, nihilque ideo ex hoc capite obstat, quin satisfactio ejus sit ex toto rigore justitiæ.

Obj. 3. contra 3. conditionem. Satisfactio debet fieri ex bonis propriis debitoris, non creditoris, aut sub ejus dominio contentis; atque actiones, quibus satisficit Christus, ut potè creatæ erant proprie creditoris, scilicet Dei, & sub ejus dominio, ratione creationis, & conservationis: ergo. Gravissimum est hæc dillicultas, cui, variis aliis solutionibus relictis, triplex probabitur

adhiberi solet. Prima est, ad satisfactionem honoris læsi non requiri hanc conditionem, quod fiat ex bonis, quæ non sunt sub dominio creditoris, sed posse fieri ex quibuscumque, modo præter obsequium, & honorem æqualem injuriæ illatæ. Nec enim satisfactio injuriæ fit sicut in restitutione pecunie per abdicationem domini alicujus rei a debitore, & translationem illius in creditorem, sed per humiliationem, & subjectionem; ad quod non requiritur aliquid domini ita proprium, quod omnino sit exemptum a creditore. Si dicatur, quod in hoc casu creditor non recipit nisi suum, & quod de jure posset aliquid amplius exigere, quod est contra rigorosam satisfactionem; Respondetur, quod, licet hæc actio emittativè foret creditoris, moraliter tamen ut satisfactio, & honorans esset satisfaciens, quia honor est in honorante; & cum supponatur ad æqualitatem injuriæ, nihil ultra de jure exigere posset creditor.

Secunda solutio est, quod, licet actiones Christi essent sub dominio generali, Christus tamen habebat in eas particulare dominium: dominium enim generale non tollit particulare, sicut causa universalis non tollit particularem; sufficit autem ad rigorem justitiæ, ut satisfactio fiat ex bonis contentis sub dominio particulari debitoris, licet sint etiam sub dominio generali creditoris, ut patet in Cive, qui Reipublicæ rem furto ablatam strictè, & rigorosè restituit, seu compensat ex bonis propriis, licet in ea Reipublica habeat generale dominium. Et certè, si generale dominium Dei obstat, quominus de rigore justitiæ satisficeret, sequeretur, quod, si Christus per impossibile alterum hominem offendisset, non potuisset illi in rigore satisfacere, imò quod nullus homo alteri homini rigorosè posset satisfacere; quia, sicut rigorosa satisfactio exigit, quod non fiat ex bonis creditoris, ita nec ex alienis, quoad sunt alterius, aut sub ejus dominio remaneret. Sic servus neque domino, neque alteri satisfacere potest ex bonis domini, quoad sunt ipsius sunt. Sicut ergo dominium generale, & inabdicabile, quod Deus habet in opera nostra, non impedit, quin aliis rigorosè satisfacere possimus, ita nec quod Christus ipsi rigorosè satisficit.

R. 3. Subtilius quidem, sed fortè solidius est fundamentis præjactis, D. Min. Actiones, quibus Christus satisficit, physice, & entitative sumptæ, seu quantum procedunt ab humanitate ut principio quo, sunt Dei creditoris, & sub ejus dominio, C. quia ut sic sunt creatæ: moraliter sumptæ quoad valorem, seu quantum procedunt a supposito Verbi ut principio quod, suntque super illud reflexivæ, N. Ut sic enim involvunt moraliter ipsum Verbum, nedum ut principium effectivum, sed etiam ut principium formale, ut supra diximus. Undè, sicut suppositum Verbi non est sub dominio Dei, sed Deus ipse, ita nec actiones ejus sub hac præcisa ratione, quod ipsum moraliter involvant; quia, ut diximus, ut sic non ponunt in numero cum ipso. Nec obstat, si dicas, quod illæ actiones moraliter consideratæ sint vel aliquid creatum, vel increatum. R. enim esse quid creatum quoad entitatem, quoad terminationem verò, seu terminativè esse quid increatum; seu si mavis, sunt quid creatum unum increatum, & sub illa formalissima ratione unius ad increatum non esse sub dominio Dei, sed solius Verbi ut subsistentis in natura humana.

Repones: Ipsa unio est a tota Trinitate: ergo, R. D. Unio effectiva, seu unio, C. unio formalis, & ut ita dicam effecta, N. Hæc enim est soli propria Verbo: unde solum dicitur incarnatum, non Pater, aut Spiritus S. satisficit autem ut unum formaliter humanitati. Replacibus: Dominium, quod Verbum habet super has actiones, ipsi competit, vel penes voluntatem incretam, vel creatam; omne enim dominium fundatur in voluntate: atqui, si penes voluntatem incretam, competit toti Trinitati, cum trium personarum sit una voluntas: si penes creatam, dominium est creatum, adeoque Dei: ergo, R. dominium hoc esse penes voluntatem creatam, non simpliciter, & absolute terminatam, sed terminatam hoc supposito divino, & sub hac formalissima ratione non esse Dei, sed ipsum Deum.

Inferes: Ergo Verbum sibi ipsi satisficit ex propriis; Verbum enim est persona offensa. R. D. Illatum: Verbum ut subsistens in natura divina sibi ipsi satisficit ex propriis, N. Verbum ut subsistens in natura humana satisficit ex propriis sibi ut subsistens in natura divina, C. Urgebis: Valor satisfactorius Christi non petitur ex Verbo ut subsistente in natura humana, sed ut subsistente in natura divina: ergo, Prob. Ant. Verbum ut subsistens in natura humana est finitum, ut sic enim gerit vices suppositi finiti; atque valor infinitus operum Christi non potest peti a supposito finito: ergo, R. D. Maj. Valor satisfactorius Christi non petitur ex Verbo ut subsistente in natura humana, ly ut reduplicante rationem formalem valoris, C. ly ut reduplicante conditionem præsuppositam, N. Licet ergo Verbum sit unde profuit valor infinitus satisfactionem Christi, cum tamen communicare non potest nisi humiliatum, & subiectum Patri, quod fieri nequit in natura divina, sed humana. Undè ad Probat. Juxta eundem sensum, D. Maj. Verbum

ut subsistens in natura humana non est infinitum, ly ut sumpto reduplicativè, C. sumpto specificativè, N. Et hoc sufficit, ut importatum in actione satisfactoria sub ratione principii quod & formalis censeatur moraliter ipsi communicare infinitum valorem. Subsumes tandem contra omnes istas solutiones: Atqui Verbum etiam, ut subsistens in natura divina dependet a Patre, & est sub ejus dominio: ergo, Prob. Ant. Verbum ipsam suam subsistentiam, & personalitatem accipit a Patre: ergo, R. N. Ant. Ad Probat. D. Ant. Verbum accipit suam personalitatem a Patre sine dependentia, C. cum dependentia, N. quia Pater non liberè, sed necessario generat Filium in omnibus sibi æqualem, & consubstantialem.

Obj. 4. contra 4. conditionem. Satisfactio rigorosa debet fieri ex bonis, aliis seu alio titulo non debitis; atque omnes Christi actiones erant debite: Deo variis aliis titulis, puta titulo creationis, conservationis, servitutis, ut supremo Domino; titulo gratitudinis, ut summo benefactori; titulo obedientiæ, Religionis, &c. Ergo, R. 1. Ex eodem semper principio, D. Min. Actiones Christi ut procedebant ab humanitate, debebantur Deo variis titulis, C. ut procedebant a supposito divino; & super illud reflectebantur, N. Nullum enim debitum suppositum Verbi contraxit, imò nec debiti capax est, sed sola humanitas: sufficit autem ad rigorem justitiæ, quod bona non sint debita ex illa parte, ex qua sumitur valor satisfactorius; qui, ut diximus, desumitur ex ipso supposito divino. Respondent alii communitè, hanc 4. conditionem esse intelligendam de satisfactione, cujus valor est finitus, non autem quando valor est infinitus; quia hoc ipso quò est infinitus, est inextinguibilis a quocumque debita, quod semper fundatur in aliquo credito. Valer etiam hæc solutio. Tertia responsio etiam probabilis est; quod variis illi tituli non multiplicent materiam, sed super eandem cadant. Undè iisdem actionibus potuit Christus omnibus illis titulis satisfacere, sicut qui deberet dare Petro centum nummos ex contractu, ex voto, ex sententia judicis, unica solutione his omnibus titulis satisfaceret.

Inst. Actiones Christi non sufficiebant, ut satisficeret obligationi gratitudinis pro omnibus beneficiis acceptis; tunc quia non potuit reddere æquivalent, scilicet subsistentiam divinam, quam accepit; tunc quia ipsa gratiarum actio beneficium est; tunc quia tantum compensatio gratitudinis debet plus reddere, quam sit acceptum: ut enim docet D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 6. hæc reciprocatio debet esse gratuita, sicut gratuita fuit beneficii collatio: si autem solum reddatur tantum, quantum acceptum est, non erit gratuita, sed debita compensatio: ergo, R. 1. Dato Ant. N. Cons. Esto enim, Christus non potuisset reddere æquivalent, aut superexcedens beneficia accepta, potuit tamen reddere honorem injuriæ illatæ æqualem, adeoque satisfacere ex rigore justitiæ. R. 2. N. Ant. Nullum enim beneficium accepit suppositum Verbi, sed sola humanitas: unde, cum seipsum in humanitate offerat, & subijcit Patri, reddit ultra quod accepit.

Obj. 5. contra 5. conditionem. Ad rigorosam satisfactionem requiritur, quod creditor teneatur ex justitiâ illam acceptare; aut, si nollit, remaneat extinctum debitum. Est enim contra omnem justitiam, quod debitor teneatur ad aliquid amplius, quam ad restitutionem æqualem, & rigorosam satisfactionem; atque Deus non tenebatur ex justitiâ acceptare satisfactionem Christi, & ipso nolente eam acceptare, non fuisset extinctum debitum: ergo, Prob. 1. pars Min. Quia nullum justitiæ debitum potest cadere in Deum; importat enim obligationem strictam, & subjectionem ei, cui debitor, ex ejus voluntate ortam. 2. Quia offensus non tenetur acceptare fidejussorem, nec unius satisfactionem pro alio, sed potest velle, ut offensus sit ipsemet satisfaciens, cum rationi sit congruum, ut per eum, qui fecit injuriam, fiat & injuriæ reparatio. Hinc patet 2. pars Min. scilicet quòd, Deo non acceptante satisfactionem Christi pro peccatis hominum, remaneret inextinctum debitum in hominibus. Patet insuper hæc ratio, quod, posita Christi satisfactione, posset nihilominus Deus hominem privare gratia, annihilare, damnare, &c. ratione supremi domini, quod habet in suas creaturas: ergo, R. D. Min. Deus non tenebatur ex justitiâ formaliter, & proprie dicta, acceptare satisfactionem Christi, C. ex justitiâ æquivalenter, seu eminenter, N. Explicatur: Fateor itaque propter rationes factas, omnem obligationem strictè justitiæ ortam ex voluntate alterius repugnare Deo, utpotè superiori ad omnes creaturas, ab eis independente, & omnium supremo Domino; non tamen ipsi repugnat obligatio orta ex propria voluntate. Sic Deus non obligatur creare mundum, aut hominem diligere; sed, supposito decreto creandi mundum, tenebatur illum creare; supposito quòd det gratiam creaturæ, obligatur illam amare. Ità similiter Deus non tenebatur exigere satisfactionem pro peccatis hominum, nec continere Christum capti, & fidejussorem illorum: sed supposito quòd velit sibi satisfieri pro peccatis hominum, & illorum capui, & Theol. Billuart. Pars Tertia.

fidejussorem constituerit Christum Dominum, tenetur tunc ex fidelitate, tunc ex summa æquissimè voluntatis recitudine, quæ justitia est æquivalenter, & eminenter, acceptare ejus satisfactionem, utpotè debito æqualem, & superabundantem, ita ut amplius exigere non possit; quod bene advertit: licet enim ut supremus omnium Dominus posset hanc satisfactionem annihilare, recusare, ulteriora exigere, non tamen, inquam, ut creditor læsus, & ratione injuriæ, cui satisfactum est ad æqualitatem, & cujus proinde debitum manet extinctum. Ex his patet responsio ad omnes probationes Minoris, & quo sensu intelligendum sit illud S. Anselmi libr. Cur Deus homo c. 19. Necessè esse video, ut Pater Filio retribuatur, alioquin injustus esse videretur, si nollet, necessitate scilicet ex suppositione, & procedendo ut Judex justus, & creditor læsus; non absoluta necessitate, ut explicuimus.

Dices: Secundum hanc explicationem semper stat, satisfactionem Christi fundari in gratia creditoris: ergo, R. ut supra, D. Ant. Fundatur in gratia creditoris præsuppositivè, & materialiter se habente, C. formaliter se habente, & supplete valorem satisfactionis, N. Undè N. Cons. Talem enim gratiam nihil officere rigori satisfactionis, constat ex usu quotidiano hominum, inter quos, supposito semel pacto, vel consensu creditoris, unus ex rigore justitiæ pro altero satisficit.

Repones: Qui rigorosam offert satisfactionem, quam tenetur creditor acceptare, non orat creditorem, ut ipsam admittat, debitumque remittat; atque Christus sæpe oravit Deum, ut peccatum hominibus dimitteret: ergo, R. D. Maj. Si oratio non sit unum ex operibus satisfactoriis, C. secus, N. Oratio tamen Christi erat ipsa satisfactio, seu illam integrabat cum aliis bonis operibus. Voluit enim Christus ex summa charitate pro nobis satisfacere omnibus generibus operum satisfactoriorum, orando, patiendo, moriendo, &c.

## ARTICULUS III

Utrum satisfactio Christi procedat a justitiâ commutativa?

Probavimus ant. præced. salvari in satisfactione Christi conditiones requisitas ad valorem rigorosam justitiæ: nunc restat videre, a qua virtute in Christo elicitæ fuerit hæc satisfactio. Non enim virtus, quæ reconpenationem offert, confert reconpenationis valorem, sed aliunde supponit: sic v. gr. liberalitas erogat pecunias, non tamen pecuniis confert valorem, sed supponit. Probavimus itaque, in satisfactione Christi reperiri ex persona Verbi valorem rigorosum, & superabundantem. Quærimus modo, utrum Christus ex virtute justitiæ commutativæ, an ex alia, illum Deo obtulerit? Quidam volunt, quod ex pluribus virtutibus processerit, scilicet ex charitate, Religione, &c. alii ex justitiâ legali, alii ex commutativa.

Dico: Satisfactio Christi fuit actus justitiæ commutativæ. Est communior inter Thomistas Prob. 1. ex Scriptura, quæ appellat hanc satisfactionem emptionem, redemptionem, solutionem pretii, commutationem, quæ sunt actus justitiæ commutativæ: Ergo, Prob. ratione. Ad actum justitiæ commutativæ requiruntur, & sufficiunt duo, scilicet stricta obligatio ad solvendum debitum, & perfecta æqualitas pretii cum debito: atque satisfactio Christi habuit has duas condiciones: ergo, Prob. Min. 1. Fuit perfecta æqualitas; quia, ut probavimus, nedum fuit æqualis debito, sed superabundans, & aliunde servat alias condiciones requisitas ad rigorosam satisfactionem. 2. Christus strictè ex justitiâ tenebatur illam præstare, quia se vadem, & fidejussorem pro nobis præstiterat: ergo. Adverte tamen, quòd, licet satisfactio Christi sit specialiter, & formaliter actus justitiæ commutativæ, contineat tamen eminentèr honestatem aliarum virtutum; in ea quippe refulcet magnificentia, quatenus offert superabundans; Religio, & gratitudo, quatenus his actibus satisfactoris reddebatur honor, & cultus Deo ut primo auctori, & summo benefactori; misericordia, quatenus non pro suis: sed pro alienis peccatis satisfaciebat; idem, discurrendo per omnes virtutes: sed tamen, quia per se & primario Christus hanc satisfactionem offerebat ad resarciendum jus divinum læsum ad æqualitatem, tanquam fidejussor generis humani lapsi; ideo dicimus, hanc satisfactionem a virtute justitiæ promanasse, de cujus ratione est injuria ad æqualitatem reparare ex stricta obligatione, ut diximus.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Non datur justitiâ commutativa, nisi inter æquales. Undè juxta Aristot. & D. Thom. non datur inter patrem & filium, dominum & servum. Sed Christus quæ satisfaciens non erat æqualis Deo: ergo, Prob. Min. Christus satisficit ut homo: ergo, R. 1. D. Maj. Non datur justitiâ commutativa nisi inter æquales quoad jus & obligationem, C. nisi inter æquales

quoad omnia, N. Licet itaque non possit dari justitia commutativa v. gr. inter patrem, & filium, formaliter qua filium, quia ut talis non est aequalis patri in jure proprietatis, idem die de ser-vo; potest tamen dari, si filius fiat sui juris per emancipationem, quia tunc est aequalis patri quoad jus, & obligationem: Christus autem ratione liberi arbitrii erat sui juris quoad actiones humanas. R. 2. N. Min. Ad prob. D. ex principio saepe repetito: Christus satisfecit ut homo, ly ut reduplicante principio quo, C. reduplicante principium quod, N. Ex principio quod autem desumitur valor infinitus satisfactionis.

Obj. 2. Fidejussor non suscipit in se majorem obligationem, quam debitor principalis; atqui debitor principalis, nempe homo non tenebatur satisfacere Deo ex justitia commutativa: ergo. Prob. Min. 1. Non datur virtus ad impossibile; atqui homo non potest reddere Deo aequale, sive pro offensis, sive pro beneficiis acceptis, quod tamen importat justitia commutativa: ergo. 2. Obligatio satisfaciendi ex justitia commutativa oritur ex ipsius justitiae violatione; atqui homo peccando non semper violat justitiam commutativam, alias in quolibet peccato, v. gr. intemperantiae, foret duplex deformitas, scilicet intemperantiae, & injustitiae; adeoque duplex specie distincta malitia in confessione accusanda, quod nemo unquam dixit: ergo. R. D. Min. Debitor principalis nempe homo non tenebatur satisfacere Deo ex justitia, per accidens ratione impotentiae, C. per se defectu sufficientis tituli obligatorii, N. Itaque ex peccato, ut modo dicam, oritur per se in homine peccatore titulus quantum ex se obligans ex justitia ad satisfactionem aequalem: sed quia homo non potest reddere Deo aequale, quod requirit justitia commutativa, & nemo ad impossibile tenetur; hinc per accidens homo non tenetur ex justitia commutativa satisfacere Deo: tenetur tamen in quantum potest; & ideo ponitur in eo poenitentia, quae est pars potentialis justitiae. In Christo autem non erat impotentia reddendi aequale, & cum aliunde obligaretur stricte quantum fidejussor peccatorum, nihil ipsi deest ad strictam justitiam. Et hinc patet responsio ad 1. prob. Min. Ad 2. N. Min. Per quodlibet enim peccatum mortale auferitur a Deo quoad affectum rationis ultimi finis, ad quod strictum jus habet, tribuiturque creatura, quod summa injustitia est. Nec tamen inde sequitur inconveniens, quod asseritur in probatione, nempe duplicem illam difformitatem v. gr. intemperantiae, & justitiae constituitur peccatum duplici specie, & accusandum in confessione; quia illa injustitia est generalis quaedam conditio omnium peccatorum, quae non constituit actum peccaminosum in diversa specie peccati, nisi quando per se, & veluti directe tanquam obiectum a peccatore intenditur. Paritas est in conditione generali inobedientiae, quae in omni peccato reperitur.

Inst. contra 1. solutionem. Si in homine non datur justitia commutativa ad Deum, non datur etiam in Christo; atqui ex concessis, &c. ergo. Prob. Maj. Gratia Christi in esse physico, & quantum ex ea procedunt virtutes, non est alterius speciei, quam gratia caeterorum: atqui ex concessis caeteris hominibus non est radix justitiae commutativae ad Deum: ergo nec in Christo. R. N. Maj. Ad prob. D. Maj. Gratia Christi, &c. non est alterius speciei, &c. & tamen diversus est status, diversumque subjectum, C. & non est diversus status, diversumque subjectum, N. Habet enim in Christo statum perfectionis propter con-

junctionem ad Verbum, suppositum divinum est ejus subjectum quod: & cum sit forma accidentaliter perficiens subjectum secundum capacitatem ejus, non est mirum, quod in Christo, qui ad aequalitatem Deo reddere potest, effundat justitiam commutativam, & non in aliis hominibus. Sic eadem ratione v. gr. in hominibus producit virtutes moderatrices passionum, non tam in Angelis; in viatoribus fidem, non in Christo, nec in Beatis; in nobis poenitentiam, non in Christo; in nobis filiationem adoptivam, non in Christo. Unde, ut praeveniatur instantia, non sequitur, ut quidam objiciunt, anteam esse potentiam obedientialem animae Christi, sed quod ratione status gratiae, & subjecti ejus apposita sit conditio, scilicet aequalitas satisfactionis ad injuriam, ratione cujus satisfecit ex justitia commutativa, & defectu cujus homo purus non potest ex hac virtute satisfacere.

Obj. 3. Debitor solvente ex justitia correspondet ex parte creditoris debitum ex justitia, ut vel accipiat solutionem, vel ea maneat contentus: quomodo enim satisfacerem alicui ex justitia, nisi illi sit satisfactum ex justitia? atqui Deus est incapax justitiae commutativae ad homines, quippe quae necessario involvit subjectionem: Ergo. R. ex jam dictis, D. Maj. Correspondet debitum ex justitia formali, vel eminentiali, C. ex formali semper, Subd. Si extrema sint ejusdem ordinis, C. si sint diversi ordinis, N. Similiter D. Min. Deus est incapax justitiae commutativae formalis ad hominem, C. justitiae eminentialis, quae, ut diximus, est summa rectitudo acquisitivae voluntatis, N. licet ergo in Deo non sit formaliter justitia commutativa justitiae Christi correspondens, quia Deus non potest induere obligationem, nec debitor constitui, hoc tamen non impedit, quin in Christo sit formaliter vere justitia commutativa; quia ad hoc sufficit, quod ex parte Dei respondeat aliquid eminenter aequivalens: sic, quando extrema relationis non sunt ejusdem ordinis, ut Deus & homo, datur relatio realis hominis ad Deum, quamvis ipsi non correspondeat relatio realis Dei ad hominem; quia Deus est illius incapax, utpote extra omnem ordinem creaturarum, & ad quem omnes creaturae ordinantur, non ipsi ad illas: ita proportione servata in nostro casu.

Obj. 4. Satisfactio Christi fuit actus justitiae vindictivae: ergo non commutativa. R. N. Cons. Justitia enim vindictiva tam in iudice aequam poenam criminis rependente, quam in reo illam patiente, pertinet ad justitiam commutativam, ut diximus de justitia.

Ex dictis inferes, justitiam commutativam Christi specie distingui a nostra, quia habet obiectum formale distinctum. Obiectum formale justitiae nostrae est debitum homini per rationem humano modo regulabile ad aequalitatem, ita ut nec sit excessus nec defectus. Obiectum vero justitiae Christi est debitum Deo regulabile ad aequalitatem, sed non per rationem humano modo; quia superat omnem regulam, & mensuram humanam. Inferes ulterius, quod, si Verbum dimitteret humanitatem Christi, haec statim amitteret justitiam commutativam ad Deum: quia tunc non posset esse principium satisfactionis aequalis, & infinitae.

Foret hic locus agendi de morte Christi pro omnibus adversus Novatores: sed, quia hanc materiam secundum omnes suas partes adamusim expendimus in Tract. de Deo Diss. 7. art. 7. illuc Lectorem remittimus.

DISSERTATIO XX.

DE SERVITUTE, ORATIONE, ET SACERDOTIO CHRISTI.

Div. Thom. QQ. 20. 21. & 22.

ARTICULUS I.

Utrum Christus ut homo fuerit verè servus Dei?

Nota, triplicem posse distingui servitutem; unam naturalem, alteram legalem, tertiam moralem. Naturalis ea est, qua quis ratione originis est alteri subditus, eique tenetur obsequi; sic filius est parentum servus; omnis creatura Dei. Legalis est, quae a lege introducta est, & est misera quaedam conditio eorum, qui bello capti, vel juxta titulo venditi alterius dominio subduntur, juxta illud 2. Petr. 2. A quo quis superatus est, hujus & servus est. Moralis est servitus pec-

cati, juxta illud Joann. 8. Qui facit peccatum, servus est peccati. Discrimen est inter servitutem naturalem, & legalem, quod haec excludat servum a consortio, seu communicati onem honorum, honoris, & sedis cum domino, non vero servus naturalis; filius enim, qui est naturaliter servus patris, cum eo communicat in honore, bonis, & sede: item justus, qui sunt Deo naturali servitute subditi, cum eo communicant in bonis; sunt enim Regni caelestis haeredes. Certum est, Christum qua hominem non esse servum servitute legali, nec morali; utraque enim summam ejus dignitatem ac sanctitatem dedecet, nec aliunde bello captus, seu emptus, aut peccator fuit. Unde

Dico: (Hic q. 20. art. 1. o.) Christus ut homo est verè servus Dei servitute naturali. Est communis Thomistarum cum auctore, & plurium extraneorum contra Vasquem, Beccanum, &c. Videtur tamen quaevis questio de nomine: convenient enim Auctores utriusque sententiae, Christum ratione humanitatis a Deo dependere, illi esse ad omnia subjectum, Deumque pro-

proinde de illo ad libitum posse disponere; eo tamen non obstante, humanitatem Christi ratione unionis hypostaticae communicare cum Deo in bonis, & honoribus. Unde summa Quaestio eo ferè devolvitur: Utrum, supposita hac communicatione, Christus ut homo possit nihilominus dici servus Dei; quod jam probatum manet ex notamine: sed insuper

Prob. Conclusio 1. ex Scriptura Isai. 42. Ecce servus meus, suscipiam eum. 57. Justificabit ipse justus servus meus multos. Quem primum locum Matth. c. 21. interpretatur de Christo. Joann. 14. Patrem major me est. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Ex Patribus Christus, hom. 7. in Ep. ad Philipp. Si forma Dei perfectus Deus est, est & forma servi perfectus servus. Aug. Ep. 178. In qua cum infirmitate non solum subditum, sed & servum evidentissimè confitemur. Athanasius serm. 3. contra Arianos, ubi has voces facti, conditi, servi, &c. respectu Christi dicit: Omnes istiusmodi voces humanitatis bene, & propriè competunt. Haec autem dissertissimè Patrum auctoritates evincunt, Scripturam allatam non esse intelligendam in sensu improprio, & metaphisico, ut vult Vasques; qui enim est propriè, perfecte, evidentissimè servus? non est talis improprie, aut metaphisice.

Prob. (Ibid.) Ille verè dicitur servus alterius, qui minor est illo, qui ejus ordinationi subiacet, & qui ejus preceptis est obnoxius; atqui haec tria competunt Christo, ut homini: ergo. Maj. est certa. Prob. Min. Christo conveniunt ea, quae sunt propria naturae humanae; atqui natura humana ex sui conditione habet hanc triplicem subjectionem ad Deum. 1. Minor est secundum gradum bonitatis, quatenus bonitas convenit Deo quoad essentiam, naturae autem humanae per participationem tantum a Deo. 2. Dei ordinationi est subjecta, secundum illud S. p. 16. Creatura tibi Factori deserviens. 3. Obnoxia est ejus mandatis tanquam supremi Domini, & Legislatoris: ergo. Hancque triplicem subjectionem Scriptura tribuit Christo. Primam, Matth. 19. ubi Christus dicit: Quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus. Secundam, Philipp. 2. Ubi dicitur Christus formam servi accepisse. Tertiam ibid. ubi dicitur factus obediens Patri usque ad mortem. Certum. Deus est verè Dominus Christi hominis: ergo Christus est verè servus Dei. Patet Cons. Quia Dominus, & servus sunt correlativa. Prob. Ant. Christus, ut homo pendet a Deo in esse, fieri, & conservari, coeque Deus uti potest ad quoscumque usus citra ejus injuriam; atqui id sufficit, ut sit verus ejus Dominus, non enim alia ratione est Dominus aliarum creaturarum: ergo

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. auctoritate Concilii Francofordiensi, & Adriani I. contra Felicem Episcopum Urgelitanum, & Elipandum Archiepiscopum Toletanum. Adrianus in Ep. praemissa Concilio sic hos haereticos alloquitur: Tanta vos temeritatis dementia deludit. Ut adoptivum eum Filium quasi purum hominem calamitatis humanae subjectum, & quod quid diceret, servum enim, inquit, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertineat venenosae saeculae susurrare. Cur non veremini queruli obtretractatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit? Et ipsum Concilium in Ep. ad Episcopos Hispaniae: Intelligite, inquit, in hac professione vestra duplices diabolicas fraudes latuisse dolos. Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, quem Deum colimus, & adoramus, servum proedicatis, & adoptivum. Considerate, quale est scandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Christianorum servum esse, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus: Nos per illum a servitute liberati, non ille nobiscum servus. Ex quibus infer Vasques, nostram sententiam, quae est D. Thom. esse damnatam. R. Concilium, & Pontificem his & similibus loquendi formulis non negasse in Christo servitutem ratione solius naturae humanae, sed dumtaxat, vel servitutem ratione personae multiplicentem naturas, & personas ad sensum Nestorianorum; vel servitutem peccati.

Primus sensus patet ex eo, quod Felix, & Elipandus, contra quos hic agit, erant novi Nestoriani, ut probabimus infra, ita ut, sicut filiationem adoptivam ponebant in Christo ratione suppositi creati, adeoque multiplicentem in Christo supposita, ita & servitutem: eodem enim modo dicebant eum filium adoptivum, & servum. Secundus sensus patet ex ipsis verbis Epistolae Concilii: Sed & hoc, inquit, volumus a vobis audire: an Adam primus humani generis Pater, si de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine? Unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato, Apostolo Petro attestante: qui peccatum fecit, servus est peccati: Christus autem non fecit peccatum, & ideo servus non est peccati; sed magis liberator, & Redemptor eorum, qui servi sunt peccati. Et columna praecedenti probat, Christum non Theol. Billuart. Pars Tertia.

esse servum, quia secundum S. Leonem assumpsit naturam, non culpam. Quibus evidentissimè patet, illic agi de servitute peccati. Sed & Concilium, & summum Pontificem agnovisse servitutem naturalem in Christo in sensu nostro, patet ex ipsis Concilii, & Pontificis verbis. Pontifex in cit. Ep. In umbra Prophetiae dicitur est servus propter servilis formae conditionem, quam sumpsit ex Virgine. Ibidem: In ipso articulo Passionis, in quo servilis forma pati parata erat. Concilium in Ep. cit. Et si eum Propheta nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens usque ad mortem, Papa Leone dicente: assumpta est de Matre Domini natura, non culpa; creata ex forma servi sine conditione servili. Id est, servitute peccati. Item & Carolus Magnus, qui Concilio aderat, in Ep. ad Elip. In forma Dei Creator, in forma servi Redemptor. Ex quibus patet, Concilium agnosceret in Christo servitutem ratione naturae, & tantum excludere servitutem ratione personae, aut peccati.

Multa reponit Vasques: 1. negat, Felicem, & Elipandum fuisse Nestorianos contra expressa verba Concilii, ut videlicet infra. 2. dicit, Concilium eodem modo negare Christum esse servum, quo negat eum esse filium adoptivum; atqui nullo modo juxta Concilium potest dici filius adoptivus: ergo. R. N. Maj. Aperte enim, ut vidimus, agnoscit aliquam in Christo servitutem, scilicet naturae; nullam autem filiationem adoptivam. Altera disparitas est, quod filiatio non possit esse nisi ratione personae, ut dicemus, servitus autem possit esse ratione, & personae, & naturae.

Instat. Adrianus loci Scripturae, quae objiciebat Elipandus, ut probaret Christum esse servum, explicat in sensu mystico; atqui, si aliquam naturae servitutem in Christo agnovisset, de illa satis, & facillime explicasset haec testimonia, quam recurret ad figuram, & sensum mysticum: ergo. R. D. Min. Si illa testimonia in sensu litterali, & historico procederent de servitute naturae, C. Si procederent de servitute personae, N. Offerbat ergo Elipandus ea Scripturae loca, in quibus Job, Jacob, David dicuntur Dei servi etiam ratione personae, volebantque huius significari Christum, cujus erant figurae. Respondet Pontifex, haec loca litteraliter, & historice intelligenda esse de istis Patriarchis, & Prophetis; allegoricè autem, & mystice de Christo, qui reverà non erat servus ratione personae, ut isti.

Urget, Felicem, & Elipandum non ita fuisse dementes, & blasphemos, ut peccati servitutem Christo affingerent: ergo. R. non mirum esse, hunc Theologum, qui Anomae in materia comprehensionis Dei defendit potius, quam Chrysostomum ab errore absolvat; qui Monothelitas contra D. Th. & omnes ferè Theologos ab assertionem unius voluntatis excusat, hic contendere novos Nestorianos a dementia, & blasphemia eximere, quos tamen Concilium, & summus Pontifex, & demerit, & blasphemiae accusant. Adrianus in Ep. cit. Tante vos temeritatis dementia deludit. Concilium in Ep. cit. Tam ridicula, tam stulta hujus sententiae expositio apud vos. Et in Sacro syllabo dicit, Epistolam Elipandii esso plenam blasphemis, &c. Ad testimonia quorundam Patrum, Athanasii contra Arianos, Chrysost. Cyrilli, &c. quae possent objici, similiter respondendum est, eos loqui, vel de servitute ratione personae, vel de servitute multiplicante; vel de servitute peccati, vel etiam de servitute naturali, seu legali.

Obj. 2. cum eodem Vasques. De ratione servi propriè dicitur est 1. quod non communicet cum Domino in bonis, honoribus, & sede. 2. quod sit persona distincta ab Hero: atqui Christus in omnibus praedictis communicat cum Deo; nec est persona ab ipso distincta. R. ad 1. partem Ant. eam distinguendo. De ratione servi legalis est, &c. C. servi naturalis, N. Patet ex notamine, & ex confirmatione Conclusionis, id non requiri ad veram, & propriè dictam servitutem. Dato autem, id requiri, tunc, ut monui, erit Quaestio de nomine. Ad 2. partem Ant. fateor esse veram in humanis, ubi non reperitur diversitas naturarum in una persona, secus in Christo, in quo contrarium accidit proindeque ratione naturae humanae potest dici servus. Quamvis enim, inquit S. Thom. (Ibid. ad 2.) non propriè dicatur, quod natura sit domina, vel serva, potest tamen propriè dici, quod quaelibet hypostasis, vel persona sit vel dominata, vel serva secundum hanc, vel illam naturam: quia, ut dixerat initio Responsionis, Relatio servitutis, vel domini fundatur super actione & passione, quae, licet competant naturae ut quo, conveniunt tamen personae ut quod; actiones enim sunt suppositorum, & singularium: & secundum hoc subdit, nihil prohibet Christum dicere Patri subjectum, vel servum ejus secundum humanam naturam.

Obj. 3. Non potest dici de Christo, quod sit propriè creatura: ergo nec quod sit servus. R. D. Ant. (Ibid. ad 1.) Non potest dici, &c. simpliciter, & sine addito expresso, vel subintellecto, C. cum addito secundum naturam humanam, N. Ita d. denominatione servi. Non enim dicimus simpliciter, Chris-